cognosci poterant. Apostolos autem et Evangelistas, ut non deciperentur, sed certam sibi notitiam compararent, sensibus suis rite usos esse et debita attentione ac diligentia omnia observasse, merito arguitur ex gravitate rei, cui, relicta religione avita, toto animo adhaerebant; ex natura factorum extraordinariorum, de quibus omnes stupebant; ex eorum narratione, qua minutas quoque circumstantias saepe describunt.

3) Nec dici potest Apostolos et Evangelistas fuisse nimis credulos. Etenim quin in ipsorum historia ullum nimiae credulitatis vestigium appareat, saepius se nimis incredulos exhibuere, praecipue cum ageretur de Christi resurrectione; quam etsi ex magistri sui promissionibus expectarent, ad eam tamen credendam satis tardi fuerunt. Profecto Thomas ceterorum Apostolorum, qui Christum resurrectum iam viderant, testimonio minime credidit; sed contra magistri sui resurrectionem dubia movit et incredulus mansit, donec ipsemet sacra Christi resuscitati vulnera vidit et palpavit. At nullus est locus nimiae credulitati, quando testes sunt oculati; et tales plerique ex Apostolis fuerunt.

4) Num decepti dicuntur Apostoli et Evangelistae? At obstat — *a)* sublimis character Christi, qui tam sancte vixit, ut infensissimi ipsius adversarii ad eum dicerent (Matth. XXII. 16.): « Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo; non enim respicis personam hominum ». Adversarii obmutuerunt, cum eos provocaret Christus dicens (Jo. VIII. 46.): « Quis ex vobis arguet me de peccato? » Imo etiam, uti refert S. Matthaeus (XXVI. 59-60.), in publico iudicio « principes autem sacerdotum, et omne concilium quaerebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent, et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent. ».

Obstat — *b)* ipsa natura factorum, de quibus Apostoli testimonium ferunt: cum enim miracula Christi, de quorum veritate historica praecipue hic quaeritur, opera sint sensibilia, sine praeparatione, in plena luce, multis spectantibus patrata, deceptio plane impossibilis dicenda est.

Obstat — *c)* character inimicorum Christi, qui livore ac invidia exardentes, omnia ipsius opera non solum diligentissime observarunt, sed et forenses de illis inquisitiones quandoque instituerunt; si qua ergo fraus ibi latuisset, pro sua sagacitate illam certissime detexissent et libentissimo animo manifestassent.



*Prob. min. quoad* 2^am^ *partem*, nempe *non defuit sinceritas.* Nam — 1) Apostolorum et Evangelistarum vita adeo fuit integerrima, ut nullus eorum ab infensissimis adversariis de ullo crimine accusari unquam potuerit: ipsorum vivendi ratio vivum exhibebat exemplar sanctissimae, quam praedicaverunt, doctrinae. Id fatentur non modo christiani et haeretici omnes, sed ipsi increduli, uti Celsus, Porphyrius, Julianus, et inter recentiores, Larroque, Salvador, etc.

2) Nihil ad fallendum inducere potuit auctores Evangeliorum. Quodnam enim ex falso testimonio emolumentum sibi comparare poterant in hac vita? Imo praeclari religionis christianae praecones et scriptores pro veritate testimoniorum suorum invicto animo non solum plurimas aerumnas, sed ipsam quoque mortem tolerarunt. Neque mercedem pro altera vita sibi polliceri poterant, cum ipsimet scirent et profiterentur, deceptionem in gravissimo religionis negotio aeternis suppliciis mulctandam esse.

267. II. Confirmatur praecedens argumentum ex eo, quod etiamsi Christi Apostoli et discipuli decipere voluissent, numquam potuissent. Etenim

1) Quomodo homines, qui *rudes* dicuntur, doctrinam tam sublimem, qualis est doctrina christiana, suo veluti penu confingere potuissent? Eo vel magis, quod plures scriptores per varias regiones dispersi, Christi historiam ita enarrent, ut quin sibi contradicant, quoad substantiam, circa dicta et facta magistri sui apprime consentiant. Num dicitur unus alterum descripsisse? At obstat diversitas stili, et occurrentes antilogiae, quas tamen reales non esse recta exegesis ostendit (1).

(1) Unde ipse Rousseau (*Émile,* liv. 4.) scribere coactus est: « Dironsnous que l'histoire de l'Évangile est inventée à plaisir? Mon ami, ce n'est pas ainsi qu'on invente, et les faits de Socrate, dont personne ne doute, sont moins attestés que ceux de Jésus-Crist. Au fond, c'est reculer la difficulté sans la détruire? Il serait plus inconcevable que plusieurs hommes d'accord eussent fabriqué ce livre, qu'il ne l'est qu'un seul aie fourni le sujet; et l'Évangile a des caractères de vérité si grands, si frappants, que l'inventeur serait plus grand que le Héros ».

2) Facta quae Evangelistae enarrant publica erant, in conspectu plurimorum coaevorum peracta; accurate designant locum et tempus; non negligunt varia adiuncta minutasque circumstantias: si res non ita contigissent, prout descriptae fuerunt, deceptio statim detegi poterat, et in maximum Apostolorum opprobrium vergere debuisset. Eo vel magis quod de Christi factis publice loquebantur tamquam de re omnibus nota. Sic S. Petrus (Act. II. 22.) die Pentecostes Judaeis praedicat « Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus et prodigiis et signis, quae fecit Deus per illum in medio vestri, sicut et vos scitis ». Et quum S. Paulus coram Festo et Agrippa rege Christum praedicaret, Festusque exclamaret: « Insanis, Paule, multae te litterae ad insaniam convertunt »; ipse Apostolus respondet (Act. XXV. 24-26.): « Non insanio, optime Feste; sed veritatis et sobrietatis verba loquor. Scit enim de his rex, ad quem et constanter loquor: latere enim eum nihil horum arbitror. Neque enim in angulo quidquam horum gestum est ». Iam supponas, facta quae discipuli de suo Magistro enarrabant, falsa fuisse, facile profecto fuisset falsitatis aut mendacii eos accusare, nec praesumendum est, innumeros Christi inimicos, Judaeos qui suam oeconomiam abolendam sentiebant ex Christi doctrina, ab illa accusatione abstinuisse. Re quidem vera, uti legitur (Act. IV. 18.), « denunciaverunt ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Jesu »; conviciis, calumniis, cruciatibus, morte denique ipsa eos affecerunt; at numquam, quae Apostoli praedicabant, negare aut refutare potuerunt. Nemo non videt quam firmum argumentum id exsistat pro Evangelistarum veracitate: facile enim potuissent infensissimi christianae religionis hostes se ab ea, quam dicebant, superstitione liberare, si potuissent discipulorum Christi falsitatem aut mendacium redarguere, atque ita omnem ipsorum auctoritatem labefactare. Quid vero, si plures ex ipsis inimicis ad Christi fidem religionemque conversi sunt, atque ad mortem usque crudelissimam in ea perseveraverunt?

3) Sed scriptores etiam *exteri*, proxime sequentes, veritatem miraculorum Christi confirmant. Ita Flav. Josephus praedicationem, baptismum et mortem Joannis Baptistae enarrat; necem S. Jacobi, quem fratrem Jesu Christi dicit, commemorat; imo de



ipso Christo testimonium luculentissimum habet. Scribit videlicet (Antiq. Iudaic. l. 18. n. 3.): « Fuit autem hoc tempore Jesus vir sapiens: si tamen virum illum oportet dicere. Erat enim mirabilium operum effector, magister hominum, qui vera libenter amplectuntur. Et plurimos quidem ex Judaeis, plurimos etiam ex gentibus ad se pertraxit. Hic erat Christus; cumque eum a primoribus gentis suae accusatum Pilatus ad crucem damnasset, ab eo diligendo non abstiterunt, qui primum coeperant. Nam post tertium diem redivivus ipsis apparuit: cum divini vates haec aliaque quam plurima admiranda de eo praedixissent. Neque ad hanc diem defecit denominatum ab eo christianorum genus ». Huius textus genuinitatem vindicatam vide ap. Huetium (Demonst. Evang. prop. 3. n. 11. seqq.). Ita etiam teste S. Justino (Apol. 1. n. 48.), et Tertulliano (Apol. c. 21.) Pilatus in actis ad Imperatorem missis miracula Christi enarravit. Pariter Celsus, philosophus epicuraeus, teste Origene (c. Celsum l. 1. et 2.), plurium miraculorum Christi veritatem historicam admisit. Idem de Porphyrio, philosopho platonico, testatur S. Cyrillus Alex. (l. 10. c. Julian.). Plotinus omnia, Hierocles multa Christi miracula ut historice vera declararunt (apud Euseb. c. Hierocl.). Arnobius Afer (Adv. Gent. l. 1. n. 43.) et Lactantius (Divin. Inst. l. 4. cap. 13.) alios philosophos ethnicos allegant, qui miracula Christi nullatenus negarunt, sed magiae adscripserunt.

268. Scholion. Quae hactenus disputavimus ad vindicandam historicam Evangeliorum auctoritatem non modo eam satis demonstrant, sed etiam difficultates praeoccupant, quantum res nostra postulat. Iuverit tamen, speciminis gratia, quaedam obiectionum capita indicare, ut quisque per se iudicet quanti faciendae sint rationalistarum animadversiones.

269. I. Contra *genuinitatem* Evangeliorum nota est Eichhorn hypothesis. Cum nempe adverteret magnam priorum trium Evangeliorum consonantiam, non modo quoad res enarratas, sed saepe etiam quoad verba; censuit unum ab initio exstitisse Evangelium, quod ipse *primitivum* appellavit, illudque publice legi in fidelium coetibus. At successu temporis, plures in ipsum mutationes inductae fuere; ita ut tandem in diversis Ecclesiis tres diversae obtinuerint

Evangelii editiones. Hae Matthaeo, Marco et Lucae adscribi coeperunt, non quod ipsi eas confecerint; sed quod diversae essent opiniones de auctore primitivi Evangelii. Plures deinde excepérunt hanc imaginatione confictam hypothesim; et Marsh Episcopus Anglicanus, ut illam veluti perficeret, supposuit, primitivum Evangelium periisse, atque a diversis fuisse deinde restitutum, prout memoriter illud retinebant. Memoria autem non semper est fidelis: inde enata sunt diversa Evangelia.

270. Verum quisque sentit — 1) monumenta historica, quae attulimus, confictae ab his auctoribus hypothesi omnino contradicere: facta autem monumentis ac testibus sunt comprobanda. — 2) Quaerimus deinde quonam fundamento eorum hypothesis innitatur: nullum assignant, praeter consonantiam verborum. At notetur, huiusmodi consonantiam nonnisi in paucis inveniri, eamque adesse in solis fere verbis Christi et Apostolorum referendis. Quid autem vetat, quominus dicamus, Apostolos verba illa memoriter retinuisse, atque Marco ac Lucae communicasse? Eo vel magis quod simul diu vixerint, verba D. N. maximi fecerint, saepius simul egerint de praedicatione Evangelii. Haec quidem verisimilia sunt, et ita explicant praefatam verborum consonantiam in prioribus tribus Evangelistis, ut simul integra maneat veritas historica plene demonstrata de genuinitate Evangeliorum.

271. II. Contra *integritatem* Evangeliorum obiicere solent — 1) christianos accusatos fuisse a Manichaeis, uti refert S. Augustinus, et a Celso, uti refert Origenes (c. Cels. l. 2. c. 27.), de corruptione codicum — 2) Imo ipse S. Hieronymus (in Praef. ad Damas. super Evangelia) conqueritur, quod « in nostris codicibus error inolevit, dum quod in eadem re alius Evangelista plus dixit, in alio, quia minus putaverint, addiderunt » — 3) Praesertim vero ex testimonio Victoris Tunonensis, et S. Isidori Hispalensis, constare dicunt, textum Evangeliorum fuisse corruptum opera Anastasii Imperatoris initio saec. VI.

272. Sed enim respondetur *ad* 1^um^, Origenem in ipso loco obiecto scribere: « Equidem non alios novi, qui Evangelii contextum immutaverint, quam Marcionis, Valentini, fortasse et Lucani sectatores »: scilicet nonnisi haeretici corruptionem tentaverunt. Tentaverunt, inquam; nam impossibile esse illam perficere, probat



S. Augustinus contra Faustum, refellendo Manichaeorum calumniam, iisdem fere argumentis, quibus nos usi sumus. — Dicimus *ad* 2^um^, S. Hieronymum non conqueri de corruptione textus graeci, sed versionis latinae; unde scribit contra Helvidium (cap. 16.): « Stultissime tibi persuasisti, graecos codices esse falsatos ». Ipsae corruptiones in versione latina, uti liquet ex verbis Hieronymi, non erant ut plurimum nisi adnotationes declarativae, desumptae ex aliis Evangeliis; unde S. Hieronymus pauca et levissima invenit necessario corrigenda (cf. *de Virt.* n. 995-1002.). — Respondemus *ad* 3^um^, non deesse graves rationes dubitandi de asserta corruptione per Anastasium Imperatorem; sed veritate historica transmissa, dicimus ex ea sequi, Anastasium tentasse, non vero perfecisse corruptionem. Quod, praeter argumenta allata in thesi, probant tum plura exemplaria graeca, pluresque versiones Anastasio antiquiores, tum etiam impossibilitas corrumpendi saeculo VI. omnes codices, omnes versiones, omnes apud alios exstantes citationes, quae innumerae erant, neque intra fines graeci Imperii continebantur. Si quae ergo fuissent in aliquibus codicibus corruptiones, ex aliis emendari poterant.

273. III. Contra *veracitatem* Evangeliorum argumenta petunt praesertim ex differentiis inter Evangelistas quoad varias narrationes. Sane huiusmodi obiectiones singillatim prosequi ad Interpretes pertinet; et S. Augustinus eas omnes iam ipse expendit ac solvit in suo opere *de consensu Evangelistarum.* Nobis advertere sufficiet — 1) hic agi non de *divina* Evangeliorum auctoritate, sed de *hystorica* atque humana eorum authentia. Hanc autem, uti in ceteris libris historicis patet, non tollunt minimae quaedam differentiae in accidentalibus, quando omnes conveniunt quoad substantiam. Quae animadversio maximam vim hic habet, tum quia hic nonnisi *substantialem* integritatem Evangeliorum propugnamus, tum quia differentiae obiectae non in eo consistunt, quod contraria referant Evangelistae, uti Interpretes ostendunt — 2) Imo ex huiusmodi differentiis, habita simul ratione consonantiae evidentis quoad plurima et praecipua, novum exsurgit argumentum veracitatis Evangelistarum. Etenim si *singuli* fraudes et fabulas contexere voluissent, non esset tanta consonantia; et si *omnes* in unam communem fraudem convenissent, non essent tam multae